



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio VI. Vtrùm Verbum infinitè sanctificet humanitatem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

talitatis est differentia entis à se: quia ens à se non pendet à causa; ideo non potest ab illa destitui: & sicut humanitas vnita Deo semper est ens ab alio, non potest habere negationem entis ab alio, nec negationem destructionis aptitudinalis: quia hæc secunda negatio oritur ex negatione dependendi ab alio.

§. 131. Nec item immortalitas per contrarias qualitates oritur ab alio attributo: quia id habet Deus per immutabilitatem & simplicitatem; quæ est incapax recipiendi formas; ac propterea nec contraria: quia contraria sunt circa subiectum; & primò negans subiectum, negat omnes effectus à subiecto pendentes: at nos etiam vt vniti Deo sumus subiectum plurium accidentium. Adde, illum effectum in nobis esse accidentalem; quem Deus supplere non potest.

§. 132. E quibus satis apertè confutantur errores Monothelitarum & Apollinaristarum: quia si repugnat humanitatem esse formaliter intelligentem & amantem, nisi per actus creatos possibiles ab ipsa produci ex natura ipsorum, eamque petentes vt causam; non potest esse in Christo vna sola voluntas, & intellectus vnus: sed singulæ naturæ habent suos. Item & Vbiquitarum: quia repugnat humanitatem esse in omni loco per vnionem petentem id ex natura sua: nec potest vnio creata esse ad immensitatem, vt constituat humanitatem in omni loco: quia ipsa vnio esset formaliter *vbi*: in nobis enim nõ datur nisi modus terminatus ad quemdam modum affixum loco, ratione cuius nos sumus in eodem loco: sed illa vnio produceretur motu, & esset modus per se affixus eidem loco, & nos ratione illius; ergo illa esset vbiatio. De cæteris sunt facilia argumenta similia. Subsistentia absoluta nulla est ratione distincta à natura: ob quod humanitas non potest terminari immediatè virtualiter subsistentia diuina, nisi relatiua. Secus autem esset, si Deus haberet communem subsistentiam ratione distinctam à natura. Vtrum autem posset omnipotentia reddere humanitatem potentem aliquid; colligi potest ex §. 121. & sequentibus.

SECTIO VI.

Vtrum Verbum infinite sanctificet humanitatem?

SUBSECTIO I.

Præmonitiones.

§. 133. **O**portet extricare quæstiones huc incurrentes, ne obscuritate & ambiguitate vocum illaqueemur. Infinitum potest accipi Primum pro infinito per essentiam carente principio efficiente, & sine. Quæstio ergo in hoc sensu erit, vtrum humanitas vt sancta Verbo sit sancta per essentiam, ita vt sit infinita in omni genere sancti? Quod explicare possumus, vtrum humanitas vt sancta sit æquæ sancta, ac Verbum ipsum, quo formaliter sanctificatur?

§. 134. Vt autem hæc quæstio sit explicatior; animum aduerte in humanitate sancta includi sanctitatem formalem, quæ est hypostasis: vnionem hypostaticam, quæ est modus & humanitas ipsa.

Sanctitas est infinita per essentiam: quia est ipsa hypostasis carens principio actiui, & sine. Non est dubium, vtrum hæc sanctitas in se sit infinita: est enim pars affirmans fide certa. vnio est finita per essentiam: quia habet principium actiuum, & finem: est enim ens creatum modale. Humanitas in se est finita; quia est substantia creata naturalis. At inquiri, vtrum hæc humanitas finita, quæ sanctitati infinite vnitur modo finito, reddatur Deo infinite grata; ita vt propterea sit tam grata, quam Verbum ipsum, sitque tam grata vt quod, quam Verbum vt quo? Nec dubium, complexum illud humanitas, vnio, & Verbum, esse tam bonum, quam Verbum: quia includit Verbum ipsum. est autem dubium, vtrum hic sint duo entia infinite grata: alterum Verbum, quæ est gratia infinita vt quo; alterum humanitas infinite grata vt quod Verbo ipso. vt in albo sunt duo alba vt quatuor: alterum albedo vt quo, alterum paries vt quod.

§. 135. Quæ difficultas magis explanatur per amorem. Est igitur quæstio, vtrum humanitas vt grata Verbo sit tam amabilis, quam Verbum ipsum? ita vt amor æqualiter terminetur ad duo obiecta realiter distincta; alterum tamen coniunctum alteri: nempe ad Verbum, vt ad rationem formalem, & ad humanitatem, vt ad obiectum materiale: vt homo gratus vt octo, amatur à Deo vt quod tantum quantum gratia vt quo: sitque in vtrumque amor vt octo, & æqualis.

§. 136. Ne cuius quæstionis interest amorem in obiectum formale esse eundem, aut diuersum, ac in obiectum materiale. Nonnulli censent gratiam, & animam amari eodem actu indiuisibili etiam ratione; nec illo posse amari obiectum, alterum minus aut magis quam alterum: etenim ea sententia admissa illemet amor diuersa ratione attingit obiectum vtrumque. Pone eodem amore diligere me iustum amicum, eiusque iustitiam: ille amor est amicitia cum amico, & concupiscentia cum gratia: quam ego non amo vt amicam; subiectum autem vt amicum amo. Item amico volo valetudinem: qui amor comparatus amico est amicitia; comparatus autem valetudini est concupiscentia: quia eam propter ipsam amo; sed amico. eodem item actu amantur finis, & medium: finis autem magis quam medium: quia finis propter ipsum; medium verò non propter ipsum, sed propter finem. Fertur ego ille amor indiuisibilis in plura obiecta, vt illa sunt digna: eius autem indiuisibilitas etiam ratione est, quia attingentia finis, aut obiecti formalis, propter ipsum concipitur necessariò vt attingentia medij, aut obiecti formalis, non propter ipsum, sed propter finem. & quemadmodum amor in finem, & medium plaris æstimat finem: ita amor in humanitatem vt gratam potest plaris æstimare gratiam ipsam, quam humanitatem.

§. 137. Censent alij finem & media, obiectum formale & materiale, amari actibus diuersis: & quamuis humanitas sit infinite grata, eam amari minus quam Verbum: quia amor de obiecto materiali est minor, quam de formali. Nec his præsidium est hæc opinio: actus enim de obiecto materiali tam magnus potest esse, quam de formali: quia materiale obiectum est tam bonum vt quod, quam formale vt quo. ex. gr. iustus vt octo amatur duobus actibus; altero iustitia, altero iustus ipse: hic

S. Thom.
q. 7. a. 1.

hic secundus amor non est minor primo: quia attingit obiectum tam bonum ut quod, quam primus ut quo: ita est quaestio, utrum amor debitus humanitati ut gratia sit tantus, quantum qui debetur Verbo?

§. 138. Secundò, potest infinitum accipi non pro infinito in essentia, cui debeat tantus amor, quantum Verbo, nec quod sit ut quod tam bonum, quam Verbum ut quo: sed accipitur infinitum in vno genere, non verò in omni ut infinitum in magnitudine, intensioe & multitudine. quæ sunt absolute finita: quia sunt creaturæ: at in genere suo possunt esse infinita syncategorematicè, vel secundum quid; quia semper habent actu primum, & ultimum: in potentia verò non habent: possunt item esse in genere simpliciter infinita: quia possunt in actu carere primo, & ultimo. In quo genere vix possumus explicare, quo pacto humanitas sanctificetur infinite, si non sanctificatur infinite per essentiam: quia Verbum caret partibus, in quibus recensere possumus primam & ultimam.

§. 139. Cum agerem de infinitudine peccati disp. 9. sect. 1. ostendi occasionem contendendi de vocibus in explicanda infinita dignitate morali peccati: quam §. 5. explicui per effecta, quorum est in suo genere causa adæquata: §. item 6. per æstimationem moralem, qua præfertur infinitus obiectis. item disp. 11. §. 18. dixi meritorum Christi dignitatem moralem posse explicari per gratiam infinitam suppositi: at huc reieci, utrum ea gratia reddat infinite gratum in omni genere; an verò in vno? quod autem sit hoc vnum, explana per eadem effecta: utrum gratia increata Christi reddat humanitatem sanctam, ita ut ratione sanctitatis humanitas sit causa infinitorum effectuum? infinitæ gratiæ habituales in humanitate, infinitæ visionis, infinitæ communicationis gratiæ, & donorum alijs hominibus? ite utrum æstimetur pluri, quam infinita alia bona? Quo autem pacto sit medium quoddam in omni genere, dicam à §. 149.

SVBSECTIO II.

Prima conclusio, & secunda.

§. 140. **D**ico Primò. Humanitas Christi redditur sanctitate Verbi infinite grata, infinite simpliciter in omni genere sanctitatis communicatæ per vnionem distinctam. Ab hac cõclusionione sunt omnes auctores adducendi à §. 150. Probatur. infinitum in hoc genere est, quod est causa moralis adæquatè mouens Deum ad infinitos effectus gratiæ, & gloriæ, ut dixi §. 139. quia causa adæquata in vno genere continet eminenter omnes suos effectus. Quòd si gratia habitualis infinite intensa est simpliciter infinita in intensioe, & gloria sic intensa est gloria simpliciter infinita: quia hæc infinitudo est carentia primi & ultimi gradus; gratia Christi, cui omnia hæc debentur, infinita est simpliciter in genere gratiæ communicatæ per vnionem distinctam: quia eminenter continet infinita simpliciter: sed gratia increata Christi reddit humanitatem causam moralem infinitæ gratiæ habitualis & gloriæ tam in Christo, in quo ostendam esse gratiam habitualem, habitus per se infusos, & omnes eorum actus infinitos simpliciter in intensioe: item condignè quod est in se me-

retur alijs infinita bona: quia hæc omnia sunt effectus humanitatis sanctæ: ergo. Minor, quod atinet ad dignitatem, est clara: quia Christus ut homo est heres vniuersorum, & dominus vniuersitatis creatæ: quia est filius naturalis, qui est capax omnium bonorum Patris. & quamuis repugnaret infinitum in actu categorematicè; adhuc argumentum esse integrum: quia esset humanitas ut sancta causa infiniti syncategorematici: quia nulla intensio existeret, qua maiorem non possit moraliter efficere, quod sufficit, ut sit causa simpliciter infinita in causando moraliter.

§. 141. Secundò probatur ab æstimatione: quia pluri æstimatur à Deo Christus ut homo, quam omnes aliæ puræ creaturæ. Quod apertè demonstrat Paulus ad Hebr. 1. *Tanto melior angelis effectum, quanto differentius præ illis nomen hereditauit: cui enim angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu? Est ergo discrimen inter Christum ut hominem, & puras creaturas, quod inter filium vnigenitum, & vilia seruitia. inter homines non tam dignoscitur hoc discrimen: quia tam filius, quam seruus sunt eiusdem speciei: est quæ discrimen valde accidentariū, & extrinsecum: at inter Filium Dei, & puras creaturas est discrimen substantiale, & in ratione filij essentiali: quia pura creatura est absolute non filia; Christus ut homo absolute filius: filiatio creaturæ adoptiua est per gratiam accidentariam; filiatio naturalis Christi ut hominis est per ipsam hypostasim increatam. Denique hæc dignitas est, qua homo est Deus.*

§. 142. Obijcies à me circulum effici: quia disp. 11. & 63. probo infinitum valorem operum Christi ex gratia infinita: hanc nunc probo ex valore infinito: ergo. Respondeo negato antecedente: quia ego nunc non arguo ex meritorū valore; sed ex ipsius gratiæ æstimatione: quia esse filium naturalem Dei est pluri æstimandum, quam omnes aliæ puræ creaturæ. ex qua æstimatione oritur Christi meritis infinita æstimatio: ut probaui disp. 11. & 63. Aduerte, in sententijs, quæ probantur pluribus argumentis, non esse circulum hunc: quia valor meritorum colligitur à priori ex filiatione naturali, & sanctitate infinita vnita personæ merenti: hæc autem dignitas à posteriori probatur ex eo valore, aliunde probato.

§. 143. Dico Secundò. Humanitas Christi est moraliter infinite sancta in omni genere. Probatur. quia moralis sanctitas est, quæ in æstimatione prudenti efficit, quod si esset physicè in aliquo. ita explicui peccatum habituale, impositionem nominum, obligationem legum, dominium, & alia: sed sanctitas infinita per essentiam præstat humanitati in æstimatione prudenti in ordine ad creatos effectus, quidquid præstaret, si illam sanctificaret infinite per essentiam physicè: omnia enim creata illi debentur ratione vnionis ad Verbum: ergo moraliter humanitas est infinite sancta, in omnigenere.

SVBSECTIO III.

Tertia conclusio, & quarta.

§. 144. **D**ico Tertiò. Humanitas in modo sanctificationis non sanctificatur infinite physicè; nec in eo æquatur sanctitati increatæ se-

secundum se, Secunda pars conclusionis est per se nota ex prima: quia in Deo omnia sunt infinita in substantia, & modo. Probat. Modus, quo humanitas sanctificatur, est creatus, & non est res absoluta, sed modalis; modus autem sanctitatis increatae secundum se est res increata: quia est idem cum substantia sanctitatis: sed modus creatus est infinite inferior increato, estque absolute finitus: ergo modus, quo sanctificatur humanitas, est finitus, & inferior modo sanctitatis increatae secundum se. Quam doctrinam perspicue docuit Caiet. q. 7. art. 13. ad finem ex S. Thoma pluribus in locis asserente gratiam vnionis esse creatam: item aliquando esse increatam. Primum accipit Caietan. de gratia vnionis, vt est modus ab hypostasi & humanitate distinctus: secundum, vt est hypostasis ipsa.

§. 145. Confirmatur. Humanitas non est sancta per suam essentiam, sed per aliquid ab ipsa realiter distinctum, & ab ipsa separabile: sanctitas autem increata constituit Verbum sanctum per essentiam, quod ab illa gratia est inseparabile: ergo humanitas non est sancta modo infinito, nec tam bono, quam est modus Verbi.

§. 146. Dico Quartò. Humanitas non est tam sancta, quam Verbum. Probat. Humanitas non est tam bona quam est Verbum: ergo nec tam sancta. Consequentia patet ex saepius dictis hanc sanctitatem esse bonitatem & perfectionem. Antecedens probò: quia humanitas existit per Verbum multò imperfectius quam Verbum ipsum per se: ergo humanitas non est tam perfecta Verbo, quam Verbum est perse. Consequentia patet: quia imperfectio in subsistendo derogat multum perfectioni. Probo antecedens: quia humanitas subsistit subsistentia aliena communicata liberè per modum ab utroque extremo distinctum: Verbum autem subsistit per se. Nec negari potest, maiorem perfectionem Verbi in modo subsistendi per essentiam multum esse inaequalem perfectioni humanitatis in modo subsistendi per aliud. fugitur enim compositio: Verbum autem simplicitate subsistit; vitatur contingentia, cui subeunt humanitas, & alia id genus per se nota.

§. 147. Obijcies: Humanitas perficitur Verbo vt quo; ipsa autem vt quod: ergo perficitur tantum, quantum est Verbum. Nego consequentiam: quia quamuis accipit humanitas totam Verbi perfectionem; at non modum illam habendi: quia Verbum eam habet per identitatem, & essentiam; humanitas verò per vnionem realiter distinctam. Qui modus communicari non potest. Recognosce à §. 175.

§. 148. Hinc deduces, humanitatem vt sanctam Verbo non amari à Deo tantum, quantum Verbum ipsum. Probat. Magnitudo amoris Dei non consideratur ex quasi subiecti inaequalitate: sed ex magnitudine obiecti colligitur aestimatio Dei: quam explicui nonnumquam per conditionalem comparationem cum alijs obiectis. v. g. si Deus esset electurus alterum è duobus, ita vt alterum esset destruendum; destrui vellet quod minus amat; eligeret autem quod magis: sed amor in Verbum secundum se est huiusmodi: ergo. Probo Minorem: quia Deus potest absolute eligere, ne humanitas sit sancta per Verbum: at non potest eligere ne Verbum secundum se sit sanctum. Ratio à

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

priori: quia amor Dei sequitur bonitatem obiecti: s. Thom. quando obiectum est liberè eligibile, non est tam bonum, quam illud, quod non potest non preferri non solum simplici complacentia in esse possibili, sed etiam in actuali. Hæc autem necessitas non oritur ex imperfecta cognitione amantis, vt in brutis: sed ex perfecta, vt de Beatis, & Deo ipso alibi dixi.

SVBSECTIO IV.

Vltima conclusio.

§. 149. Dico Quintò. Humanitas sanctificatur Verbo infinite simpliciter, & in omni genere: ita vt humanitas vt sanctificata per Verbum non solum includat infinitam Verbi perfectionem secundum se; sed vt ipsa in concreto sit infinite sancta in omni genere. Non dico eam esse sanctam per essentiam: quia hæc sanctitas est cum identitate reali sanctitatis per essentiam cum quasi subiecto sancto: nec item est sancta sanctitate participata; sed sanctitate per essentiam: quia sanctitas Verbi non est participata, sed est ipsa sanctitas diuina: est ergo humanitas sancta sanctitate per essentiam communicata per vnionem participatam. Vnde humanitas non est tam sancta, quam Verbum: at verò est quasi formaliter infinite absolute sancta.

§. 150. Hanc quæstionem antiqui vix attigere tam clarè: à recentibus accepit auram, ego existimo ab hac conclusione quinta esse S. Thomam 3. p. q. 7. art. 11. ijs verbis: *Vna quidem est gratia vnionis, qua, sicut supra dictum est, est ipsum vniri personaliter Filio Dei, quod est gratis concessum humana nature: & hanc gratiam constat esse infinitam; secundum quod ipsa persona Verbi est infinita.* item ad primum, vbi id ex glossa confirmat: art. 13. ad 3. ait gratiam vnionis esse supra omne genus. Aliqui ne huic sententiæ admittant patroum B. Thomam, respondent ab eo non accipi gratiam in concreto, sed in abstracto. Quia S. Thomas non asserit humanitatem esse infinite sanctam supra omne genus; sed eius sanctitatem vnionis esse supra omne genus. Contrà: S. Thomas & cæteri Doctores nomine abstracto gratiæ significant eius quasi effectus formales in concreto. Perinde enim est agere de intentione gratiæ iustorum, ac de ipsis gratis in concreto. Si S. Thomas ageret de gratia personali secundum se, etiam patet eum agere de omnipotentia, comprehensione Dei, & alijs: quia sanctitas substantialis humanitatis Christi secundum se est etiam omnipotentia, & comprehensio Dei: agitue ergo de quasi effectū formali, dum agitue de illius formali ratione: ob hoc art. 12. quæsiuit, vtrum gratia Christi potuerit augeri: quod perinde est, ac vtrum Christus potuerit in gratia crescere? in hoc autem sensu concreto proponit argumenta, & diluit, vt patet ad 3. & constabit ex §. sequenti & §. 155.

§. 151. Ab eadem conclusione est Caiet. iisdem in locis: art. autem 13. ad 3. ait gratiam vnionis, quæ est esse personale, esse infinitam, & supra omne genus. ne autem exponatur de abstracta sanctitate, ipse se explanat de quasi effectū formali in concreto, iis verbis: *De huiusmodi enim vnione in littera dicitur, quod est esse personale, quod est infinita simpliciter.*

D d ter,

S. Thom.
q. 7. a. 1.

ter, sicut ipsa persona diuina; quod est supra omne genus. hoc fundamentum relationis vnionis nihil aliud est, quam vnum esse Deum & hominem in esse diuino personali. Hęc vltima verba in concreto significant effectum vnionis hypostaticę, nempe vnum esse Deum, & hominem; quod gratiam infinitam appellat. Item quando dicit, sicut persona diuina; quibus quasi effectum formalem concretum probat per quasi formam. quę verba sumpsit ex B. Thoma adducto §. 150.

§. 152. P. Valent. disp. 1. q. 7. punct. 1. sub initio, dixit totam hanc sententiam de gratia vt cōmunicata humanitati. Ait enim: *Itaque perspicuum est, hanc gratiam Christi (vnionis) esse omnium summam, vt pote infinitam simpliciter. Nec esse minus certum fuisse illa præditum Christum vt hominem, quàm est certum Christi humanitatem fuisse vnitam hypostaticè verbo diuino.* Vbi agit de gratia vnionis vt quasi forma communicata humanitati. infra verò ait: *Nec potest ab aliquo negari, quod dicimus per hanc gratiam vnionis fuisse Christum secundum humanitatem Deo & gratum, & dilectum, atque adde sanctum: tum quia hoc ipso quod illa vnio est summum bonum, donum gratiæ à Deo communicatum humanitati Christi, est Christi humanitas per eam obiectum summę dilectionis, per quam tantum bonum ei communicatur.* Vbi constituta summa gratia vnionis communicata humanitati, inde probat humanitatem ratione illius esse obiectum summę dilectionis, agit autem de infinita: quia gratia illi communicata est infinita, & summa.

§. 153. P. Suarez disp. 18. lect. 1. verf. *Sed quæret aliquis, ait: Includit enim hæc sanctificatio impeccabilitatem infinitam, & deificationem aliquam.* Vbi impeccabilitas & infinitudo constituuntur absolute; deificationem autem cum addito aliquam: ne humanitas censetur esse Deus, vt censetur impeccabilis, & infinita sancta. Quod si obijcias ex eodem auctore in commentario art. 11. q. 7. verf. *In solutione ad primum, hæc verba: Vel ratione gratiæ vnionis, quæ suo modo est infinita;* respondeo *ad suo modo*, non significare infinitudinem secundum quid: quam concedit gratiæ etiam habituali disp. 22. lect. 1. conclus. 2. sed significare infinitatem in sanctitate communicatam per modum distinctum, & non per identitatem sanctitatis & humanitatis: & quod humanitas non est tam bona, quàm Verbum secundum se, vt dixi §. 147. nec amatur à Deo quantum Verbum, vt dixi §. 148. quod P. Suarez disp. 22. lect. 1. verf. *Dices, implicat, dixit apertè. comparans enim humanitatem vt sanctam ipsi diuinitati, dixit illam esse in ea comparatione infinitam secundum quid: quia est minor: at in suo genere dixit infinitam simpliciter.* quod admiserat verf. superiori, cui adscribit infinitatem dignitatem & valorem operum.

§. 154. P. Valquez disp. 30. n. 12. ait: *Dicemus nempe formam, per quam humanitas in Christo deificatur, & sanctificatur infinitè.* Disp. autem 41. n. 22. ait: *Præterea cum humanitas Christi sit infinitè sancta; forma sanctificationis debet esse infinita, ac proinde esse non potest modus vnionis, sed deitas ipsa.* n. autem 27. probans humanitatem Christi non posse operibus aut habitibus crescere in sanctitate per vnionem hypostaticam; ait: *Siquidem sanctificatio per deitatem, quæ est deificatio, est infinita: & ita omnem alium modum sanctificationis absorbet, &c.* Vbi admittit sanctitatem in omni genere infinitam: si quidem nullo alio genere sanctitatis augetur: quod soli conuenit sancti-

tati infinitæ in omni genere. quod repetijt disp. 47. num. 1.

§. 155. P. Maldonatus in 1. c. Ioan. num. 141. arguens de gratia Christi ait, *Primum (discrimen) maior, id est, infinita in Christo fuit gratia; in alijs finita.* Vbi de Christo vt homine grato agens, & de alijs; loquitur de gratia in abstracto pro concreto. P. Pereira ibidem disp. 33. & alij sacri interpretes. Consentit Lorca disp. 42. n. 7. satis clarè.

SUBSECTIO V.

Probata conclusio.

§. 156. **P**Ræmitto, quæ Sancti & Theologi dicunt: humanitatem ita sanctificari Verbo, vt nulla additione gratiæ creatæ sit sanctior intensiue: vnde sine gratia habituali est tam sancta intensiue, quàm cum illa. Quod non conueniret humanitati, nisi Verbo esset sancta infinitè in omni genere. de quo agendum disp. 48. §. 52. Probat ut priori conclusio è §. 149. sanctitas Verbi est infinita simpliciter, & in omni genere: ergo humanitatem reddit sanctam infinitè, & in omni genere. Probo consequentiam, quia forma propriè, aut metaphoricè (sic breuitatis causa sanctitatem appello, non quod sit propriè, sed metaphoricè forma) reddit subiectum sanctum in gradu in quo ipsa est sancta: ergo sanctitas Verbi reddit humanitatem sanctam infinitè, & in omni genere. Antecedens probo: quia forma vnitur immediate subiecto, quod denominat: ergo illud reddit bonum in eo gradu in quo ipsa est bona. Probo consequentiam: quia vnio bonitatis est communicatio ipsius bonitatis.

§. 157. Vt pateat argumenti vis, vt or formatum exemplo: gratia intensa vt octo reddit subiectum gratum vt octo: & bonitas intensa aut remissa nobilis, aut minus nobilis speciei, reddit subiectum intense aut remisse, nobilius, aut minus nobilius bonum: ita album vt quatuor est ab albedine vt quatuor: dulce à dulcore, & bonum ab actu bono. Quia si forma est indiuisibilis intensiue, vnuntur omnes eius gradus. Nec est alia ratio dignoscendi quàm bonum sit subiectum, quàm dignoscere qualis sit forma. Quo differt causa formalis ab efficiente: hæc enim licet sit infinita, præstat finitos effectus; quia eos præstat faciendo aliquid ab ipsa distinctum, quod non est opus vt sit tam bonum, quàm causa: at verò causa formalis præstat effectum seipsam communicando. vnde non præstat effectum in gradu inferiori.

§. 158. Hinc argumentor: Omnis forma creata, quia se ipsam communicat in genere causæ formalis, reddit formalem effectum in eodem genere, in quo ipsa est: sed eadem est ratio in forma increata: quia se vnit in genere quasi causæ formalis: ergo reddit formalem effectum in eodem gradu, in quo est. Confirmatur Primò. tota vnitur: ergo tota communicatur: ergo non per partes: ergo non communicat perfectionem minoris gradus, quàm est. Confirmatur Secundò. vt quo perficit humanitatem, est infinita: ergo reddit humanitatem infinitè perfectam: quia forma communicat subiecto vt quod totam perfectionem in eo gradu, in quo ipsa est vt quo.

§. 159. Huic argumento tam efficaci respondet

dent Primùm, bonitatem consistere in ratione conuenientia: remque aliquam posse esse conuenientiorē vni, quàm alij: eamque reddere meliorem, cui est conuenientior, & amabiliorem: subsistentia autem Verbi conuenientior est naturæ diuinæ, quàm humanæ, eamque reddit meliorem & amabiliorem. Confirmant id Primùm: quia gratia amabilior est in homine, quàm in lapide; nec hunc reddit tam bonum, quàm illum: ergo idem erit de hypostasi in humanitate, & in natura diuina. Confirmant Secundò: quia hypostasis est etiam Deus *vt quo*, nec humanitatem constituit Deum.

§. 160. Respondeo, bonitatem transcendentalem non esse relationem conuenientia: sed perfectionem, & integritatem in esse: & quo maior est hæc perfectio, & integritas, maiorem esse bonitatem transcendentalem. Recognosce vol. I. disp. 7. Metaphys. §. 45. & 46. Vnde licet res non sit vni tam conueniens, quàm alij; æquè eam perficiet. Quod probo in luce, quæ conuenientior est Soli, quàm aëri: & tamen in gradu intensiōis eiusdem æquè perficit vtrumque: ergo hæc maior minorū perfectio non sumitur ex conuenientia; sed ex bonitate transcendentali. Ratio à priori: quia siue sit conueniens, siue minus conueniens, se totam vnit intrinsecè. Quis neget homini non esse ex natura sua conuenientem gratiam? quia homo illam ex natura sua non petit, nec ad illam dicit ordinem; & tamen illum perficit magis, quàm qualitates, quas ipse ex natura sua petit vt conuenientes. Hypostasis Verbi non est conueniens naturaliter humanitati: quia nec hæc petit eam subsistentiam, nec subsistentia connotat humanitatem, à qua habeat rationem aliquam perfectionis; nec ad illam in ratione suppositi determinatiui dicit ordinem transcendentalem: & tamen meliorem reddit humanitatem, quàm subsistentia creata, inter quam & humanitatem est relatio connaturalis conuenientia: non ergo pendet perfectio à conuenientia. Amor autem concupiscentia pendet à maiori aut minori conuenientia: *Vnicuique amabile bonum, maxime autem proprium.* Ego video meos cognatos in se minus bonos alij; quos tamen diligo magis, quia mihi conuenientiores. Video meum equum minus pernicem & elegantem, quàm equum vicini; meum tamen sollicitè custodio, & volo incolumem magis quàm vicini. At amore amicitia, aut quasi amicitia res magis amantur, quando sunt in se transcendentally meliores & perfectiores.

§. 161. Ad argumentum ex §. 159. prætermisã maiori propositione, quam probauisse fallam; concessã item Minori de maiori conuenientia hypostasis diuinæ cum natura diuina, quàm cum humana; concedo humanitatem non esse tam perfectam cum subsistentia Verbi, quàm diuinam naturam: non ratione maioris aut minoris conuenientia; sed propter rationem redditam §. 146. quia humanitas habet perfectionem Verbi modo minus perfectò, quàm natura diuina: eaque ratione est amabilior diuina tam propter perfectionem, quàm propter conuenientiam maiorem. at verò est humana digna amore infinito: quia vnita est perfectioni infinitæ per essentiam. Nec verò officit infinitati esse aliam aliquo modo perfectiorem, vt constabit §. 172.

§. 162. Ad Primam confirmationem ex eodem §. 159. distinguo antecedens: gratia secundum se

Per. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

est amabilior in homine, quàm in lapide, nego autem *S. Thom. q. 7. a. 2.* recedens; ratione diuersi subiecti, concedo antecedens. Amor in gratiam vt existentem in homine est quasi diuersa speciei, ac in lapide: quia ille amor est in totum hominem, qui est amabilis amicitia vt est homo gratus: quia sic potest redamare amicum; vt in iustificatione dixi: at lapis vt gratia affectus non potest amari amicitia; quia nec redamare: si verò gratia in subiecto ametur actu distincto, ac subiectum ipsum; terminat vtrouque amorem eundem, & vtrumque subiectum reddit æquè bonum transcendentally: quia habet eandem vnionem, nec eandem perfectionem subiectiuam. Hinc aliqui deluduntur, arbitrati eam diuersitate: vt bonitatis & amoris ortam ab ipsa gratia; cum non oriatur nisi ab ipsa vnione, & subiecto diuersis. Vnio hypostatica cum corpore non reddit gratum, nec amicum, vt reddit animam: & tamen quod attinet ad perfectionem se tenentem ex parte hypostasis, tanta est in corpore, quanta in animo; absolute autem corpus non est tam bonum: quia caret bonitate apta ad amicitiam, & conceptum gratia. Denique do humanitatem non esse tam perfectam, quàm est diuina natura: at vnde probatur non esse eam infinite perfectam?

§. 163. Ad Secundam confirmationem ex eodem §. 159. concedo hypostasim esse materialiter Deum vt *quo*: reddit quidem humanitatem infinite deificatam; non verò Deum: quia hic effectus formalis non potest reddi nisi per identitatem, vt dixi §. 109. & 120. quemadmodum gratia reddit subiectum *gratum*, non tamen subiectum *gratiam*: quia sunt nonnulla prædicata incommunicabilia sub illo respectu, atque conceptu: at licet gratia non constituit subiectum *gratiam*; illud tamen constituit *gratum*, & in eodem gradu, in quo ipsa est gratia: ita hypostasis non constituit humanitatem *Deum*; constituit tamen *deificatam* in eodem gradu, in quo ipsa est Deus.

§. 164. Difficilius arguo Secundò: Sanctitas increata non reddit humanitatem sanctam per essentiam; ipsa verò est sancta per essentiam: ergo non sanctificat humanitatem infinite in omni genere. Probo consequentiam: quia sanctitas increata est in conceptu sanctitatis per essentiam, quod altius est quàm sanctitas per participationem. Confirmatur. Sanctitas increata est in se siue fine & principio actiuo: humanitas verò redditur sancta illa sanctitate à principio actiuo & fine: ergo est finite sancta: omne enim habens principium actiuum, & finem, est finitum: vnde humanitas, vt grata Verbo, est minus amabilis, quàm Verbum ipsum: & finite amabilis.

§. 165. Vt respondeam, præmitto hypostasim esse sanctam, & habere modum habendi sanctitatem: sancta quidem, quia habet bonitatem dignam amicitia supernaturali, & visione Dei; modum verò, quia illa sanctitas est in hypostasi à se, id est, ab ipsa hypostasi: quia nullam habet causam nec sui, nec vt sit in hypostasi: est enim ens à se & per essentiam, non verò per participationem. humanitas autem vnita Verbo habet sanctitatem, & modum illam habendi: sanctitatem, quia est digna visione Dei; modum autem, quia illam non habet à se, sed à causa actiua: quia à Trinitate effecta est sancta. Hæc distinctio loquum habet etiam in formis. Al-

S. Thom.
q. 7. a. 7.

bedo habet rationem albi, & modum eam rationem habendi: quia est ratio disgregandi visum, & habet per suam essentiam, quin per modum à se distinctum, esse disgregationem visus: quamvis enim eam habet efficienter à Deo, quia & esse ita habet; at formaliter est talis per suam essentiam; album autem habet esse album: quia unitum est albedini; & habet modum, quo est album: qui modus non solum est efficienter à Deo; qui est realiter distinctus ab albo; sed etiam formaliter est ab illo distinctus: quia ille modus est unio subiecti cum albedine: quæ unio est ab utroque extremo distincta. Itaque albedo differt ab albo, quod illa per suam essentiam formaliter habet rationem albi; album autem non formaliter per suam essentiam, sed per aliquid ab illa distinctum.

§. 166. Sanctitas increata reddit humanitatem sanctam: at non eo modo, quo ipsa est sanctitas: quia ipsa est per suam essentiam sanctitas, non solum quia non est effecta ab aliqua causa; sed quia formaliter, & per suum conceptum est sanctitas: humanitas autem est sancta, non per suam essentiam, nec solum per sanctitatem increatam; sed etiam per modum ab utraque distinctum. quod contingit etiam veris formis: albedo enim reddit album, sed non eo modo, quo ipsa est albedo: quia est albedo formaliter per suam essentiam, & non facit album per essentiam ipsius albi: itaque formæ propriæ & metaphoricæ communicant suos formales effectus in suo gradu & genere; at diuerso modo ac illos habent: quia modus est incommunicabilis, nisi per identitatem realem.

§. 167. Ad argumentum ex §. 164. nego consequentiam. Ad probationem, respondeo sanctitatem increatam esse sanctitatem per essentiam; sicut albedo formaliter est ratio albi per essentiam, (quamvis non efficienter;) nego tamen inde sequi non sanctificari infinite in omni genere: sicut non sequitur subiectum non dealbari in eadem specie & gradu albedinis: quia communicatur tota sanctitas increata; sicut tota albedo: quamvis non communicatur modus sanctitatis, sicut nec albedinis: itaque tota substantia, & essentia, & intensio formæ communicatur; non tamen modus. Quod dicitur sanctitatem increatam esse in genere sanctitatis per essentiam, iam includit sanctitatem & modum illam habendi, ut cum dicitur albedo ratio albi per essentiam in genere causæ formalis: subiectum autem, ut perficiatur in substantia infinite, non est opus ut perficiatur per essentiam suam; sed satis est, si per sanctitatem per essentiam: quemadmodum ut sit album ut octo, non est opus ut albetur per essentiam formaliter; sed satis est si per essentiam albedinis ut octo. Quia quando dantur effectus formales in aliqua specie aut gradu, non est opus ut dentur ut quod, eodem modo quo sunt in forma ut quo: sed satis est si omnes illi uniantur subiecto, quamvis modo diuerso.

§. 168. Ad confirmationem ex §. 164. distinguo antecedens: humanitas est grata à causa actiua, & sine sanctitatis, qua est sancta ut forma, nego antecedens: à principio actiuo, & sine sancti, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia ut esset finite sancta, opus esset ut forma sanctitatis haberet principium & finem: cum autem illo careat, semper manet infinita, & infinite perficiens humanitatem, licet modus sit finitus.

§. 169. Ad illationem in eodem §. 164. dico Verbum esse amabilius humanitate ut sancta Verbo: non propter substantiam sanctitatis: est enim eadem utrobique; sed propter modum: qui nobilior est in Verbo quam in humanitate: ut album in ratione, qua perficitur albedine, est minus amabile, quam albedo propter modum minus nobilem. Absolutè autem est amabilius: quia ratione subiecti & unionis addit nouas perfectiones, quæ nec formaliter, nec eminenter continentur in modo albedinis, nec in albedine. compensatur ergo illa maior perfectio per alias perfectiones subiecti: at Verbum habet modum incompensabilem: quia ex parte humanitatis aut unionis non adduntur nouæ perfectiones, quæ non continentur in Verbo eminenter omnino: ob quod manet semper amabile, & melius quam humanitas; & sicut album est semper in specie & gradu albedinis, licet modus non sit tam bonus; ita & humanitas est infinite grata in omni genere.

SVBSECTIO VI.

Ad argumenta.

§. 170. **H**umanitatem sanctificari infinite secundum quid, & absolute finite; probabit aliquis. Primum, Deus non sibi complacet infinite simpliciter in humanitate: ergo non est grata infinite simpliciter. Probo antecedens: quia si humanitas amaretur infinite simpliciter, Deus eam faceret gratam necessariò: ut necessariò amat se ipsum ob infinitatem amoris. Nego antecedens: ad probationem, nego antecedens: quia licet eam amet infinite quoad substantiam: quia ratio eam amandi est hypostasis illi intrinsecè unita; at eam amat finite quoad modum; qui est unio: ob quod potest cessare ab amore unionis, eamque destrueret, eaque ratione efficere ne humanitas sit infinite grata. ut autem Deus necessariò perseveret in ea voluntate, opus est ut ex parte obiecti nihil ametur finite, ex quo essentialiter pendeat ille formalis effectus.

§. 171. Secundò, humanitas non est sancta per essentiam: ergo non est sancta infinite in omni genere. Probo antecedens: quia humanitas ex conceptu suo non est sancta, sed sanctitate ab ipsa realiter distincta. Aduerte, sanctum per essentiam posse accipi pro ipso subiecto sancto, & pro forma à qua est sanctum. Humanitas non est sancta per suam essentiam; est tamen sancta sanctitate per essentiam: quia hæc sanctitas à nullo est actiue, nec formaliter, nisi à se ipsa. Ex hac antecedentis distinctione, distinguo consequens: non est sancta in omni genere quoad substantiam, nego consequentiam: quia est sancta à sanctitate increata ut à forma: non est in omni genere quoad modum, concedo consequentiam: quia modus est unio, quæ est in vno genere limitato.

§. 172. Tertiò: quia natura diuina est sanctior absolute: ergo humana non est absolute, & in omni genere sancta. Probo consequentiam: quia sanctum in omni genere infinitum est, quo nihil maius potest in ea excogitari ratione: concedo antecedens, & distinguo consequens: non est sancta in omni genere quoad substantiam, nego consequentiam; quoad modum, concedo consequentiam. Ad pro-

probationem, infinitum est quod caret principio & fine; non tamen quo nihil maius potest excogitari, vt sæpè dixi, maximè disp. 13. Physic. & vol. 3. disp. 9. Do tamen in Deo idem esse carere principio & fine, & esse optimum inter excogitabilia. Igitur infinitum in ratione infiniti est optimum inter excogitabilia: ita humanitas in ratione sanctæ quoad substantiam est optima inter excogitabilia; id est, nihil est ea ratione melius: quia natura diuina ex hac præcisè parte non est melior: quia vtraque est formaliter sancta ab eadem sanctitate: at verò humanitas in modo non est infinitè sancta; secùs natura diuina; quæ in modo est excogitabilis melior quàm humanitas: ob quod humanitas absolute non est tam bona, sed infinitè minùs nobilis, quàm Verbum secundùm se. in hoc autem sensu non est comparatio.

SECTION VII.

Vtrum sanctitas increata præstet humanitati eosdem effectus, quos creata?

§. 173. **E**ffectus alij physici, per actionem realem, aut vnionem immediatam; alij morales per extrinsecam denominationem, vt dixi §. 40. Item effectus alij specifici, vt duo alba; alij generici, vt *quale*; alij analogici, vt *ens*. non est questio de effectibus physicis specificis: quia est per se notum eos esse valdè diuersos: gratia enim reddit animam Christi accidentariè sanctam; hypostasis autem substantialiter: gratia est (in multorum opinione) radix physica habituum; hypostasis formaliter non est illo more: effectus morales dicuntur ab aliquibus oppositio cum peccato: ius ad gloriam, esse amicum Dei.

§. 174. Censeo, hos morales esse rationis diuersæ à gratia, & hypostasi. Primùm, quia oppositio cum peccato tam actuali, quàm habituali in gratia habituali est in ordine ad potentiam communem; non verò ad absolutam in sententia valdè cõmuni: at vnio hypostatica habet oppositionem etiam de potentia absoluta in sententia magis communi, & certa. Visio beata in prima sententia componi potest diuinitus cum peccato habituali veniali, & mortali; secùs vnio: ergo hæc oppositio siue moralis, siue physica, non est eiusdem rationis à sanctitate increata, & à gratia habituali.

§. 175. Ius ad gloriam est diuersæ rationis: quia gratia habitualis potest ex natura sua sine miraculo non componi cum gloria; nec omnino gloriæ donatio caret ratione noui beneficij: vt patet in patribus limbi: at cum vnione hypostatica ita connectitur, vt sine miraculo disungi non possint: actualisque donatio habet minùs de ratione noui beneficij. item gratia habitualis in quocumq; gradu non est titulus ad gratiam infinitam; sed finitam semper: semper autem illi præscribitur certa intensio, qua maior ei non debetur: nec illi debetur scientia per se infusa, carentia vitiorum, & fomitis peccati. Humanitati autem ratione hypostasis debetur iure connaturalitatis gratia simpliciter infinita, & gloria, si est possibilis; vel certè, ultra quamlibet intensiorem debetur maior: item debetur scientia infusa, carentia vitiorum, & fomitis peccati: ergo ij morales effectus sunt absimiles.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

§. 176. *Sanctum* etiam est in ordine altiori: à *s. Thom.* gratia finitè quidem, & vt plurimum; infinitè in intentione; ab hypostasi autem infinitè in omni genere: ab altera in genere substantiæ; ab altera in genere qualitatis: ab altera Christus vt homo est filius naturalis Dei, dominus vniuersitatis purarum creaturarum; à gratia habituali nullus est filius naturalis; nos verò sumus adoptiui, serui Christi, conferui angelorum. qui effectus sunt valdè diuersi.

§. 177. Ratio à priori: quia si illi sunt effectus morales, distinguuntur specie. Primùm, quia sunt à parte rei idem cum physica denominatione extrinseca; quæ apud prudentes tantum valet ad hæc effecta, quantum valeret, si esset intrinseca: sed istæ physice denominationes sunt distinctarum specierum: ergo & ij morales effectus. tum quia ex illis deriuantur moraliter alij effectus physici distinctarum specierum: ex quibus rectè colligitur distinctio specifica causarum. Tertio, quia in moralibus sunt diuersæ species: dominium enim specie distinguitur à significatione vocum: titulus hereditatis à contractu, & mercede: obligatio legum à donatione. Genericè autem aut analogicè conueniunt tam effectus physici, quàm morales; vt conueniunt formæ, à quibus tribuuntur.

SECTION VIII.

Vtrum vnio hypostatica sit forma sanctificans?

§. 178. **V**nio hypostatica est de conceptu & ratione formali humanitatis vt *sanctæ*; qui effectus formalis concretus non præstatur sola sanctitate Verbi. quia possunt à parte rei existere humanitas, & diuinitas, quin à parte rei existat humanitas diuinitate sancta: solum quia deesset vnio inter vtraique: ergo vnio est de ratione formali humanitatis sanctæ. Probo consequentiam: quia si vnio non esset de conceptu formali sancti; si existerent humanitas & diuinitas sine ea vnione, adhuc esset sancta humanitas diuinitate: quia quando existit tota ratio essentialis alicuius rei, existit talis res, vt existente totà humanitatis essentiâ & supposito existit homo.

§. 179. Dices, vnionem esse conditionem essentialem, sine qua humanitas non est sancta diuinitate. Contrà: Conditio essentialis potest esse aliqua, quando sine illa repugnat, vt sit aliqua pars essentialis, aut rei pertinentis intrinsecè ad effectum illum. Vt applicatio corporis & animi est conditio essentialis, vt sit homo: quia sine ea applicatione non potest esse vnio, quæ est de hominis essentiâ: at si semel existant omnes conceptus constituentibus effectum formalem, non potest deesse aliqua conditio essentialis, vt non sit talis effectus. Quemadmodum non potest ea deesse vt sit homo; si semel existant supposita, anima, corpus, & vnio. Ratio à priori: quia homo nihil includit præter ea quatuor. ergo si tota ratio humanitatis sanctæ est humanitas & diuinitas; iis existentibus, erit humanitas sancta, licet cætera desint: signum est ergo vnionem pertinere ad rationem formalem & essentialem humanitatis vt sanctæ.

§. 180. Confirmatur exemplo aliarum vnionum:

Dd 3 num: